



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 18. Occidentales Indiæ primum detectæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. prosperis Arragoniæ Regis progressibus
 A. C. 1485. cedere compulsus est.

§. XVIII.

Occidentales Indiæ primum detectæ.

*Marian. ib.
 lib. 25.*

*Marmol. l. 9.
 c. 27.*

*De Thou
 hist. lib. 1.*

Haud parum excreverat Ferdinandi potentia, Indiis occidentalibus hoc anno recens detectis. Novæ hujus felicitatis primus omnium inventor merito celebratur Christophorus Columbus. Hic Cugureo, (*) ignobili oppido prope Genuam progenitus, Cosmographiæ ac Astronomiæ scientiis haud leviter tinctus, arti nauticæ totum se dedit, & primum cum Auria Principe, quem Genuensium Republica ad Joannem Regem ablegaverat, in Lusitaniam profectus est, ubi etiam Philippinam Mogmesiam celebrari illius Peristelli, qui Maderam, & Portus-Sancti Insulam detexerat, filiam sibi copulavit. Frequenti colloquio cum Socru sua habito stimulatus, ac propria terraquei orbis observatione adjutus, Indias occidentales detegere, animo constituit: Cum vero tanti moliminis ausus virium suarum imbecillitatem excederent, consilium suum Lusitaniæ Regi detexit;

(*) *Alii Historici perhibent Christophorum fuisse natum Neniæ, quæ est urbs octavo lapide Genuæ distans.*

ast tam ampla a Rege postulabat præ-
 mia, ut Lusitanus hanc provinciam al-
 teri deferret, qui juxta Columbi præce-
 pta dictas Insulas detegeret; quapropter
 Rex clam lembum in pelagus procurrere
 jussit, simulans, hac navi annonam, ac
 præsidarios milites ad Hesperides Insu-
 las transvehi: Cum autem hujus navi-
 gii Gubernator tam Astronomicæ, quam
 artis nauticæ ignarus esset, maris cur-
 sum, quem a Columbo edoctus fuerat,
 haud insequi poterat, atque a sua navi-
 gatione redux Joanni Regi perperam sug-
 gessit, quod audax illud, tumidisque ve-
 lis præguans promissum, nonnisi inane
 Genuensis hujus viri delirium esset.

Sæcul. XV.
 A.C. 1485.

§. XIX.

*Columbus a Lusitano neglectus, Ca-
 stellam profectus.*

Christophorus Columbus, cum Lusita-
 niæ Regem suis consiliis minus pro-
 pitium experiretur, unacum filio suo Ja-
 cobo Columbo in Castellæ Regnum con-
 tendit, misitque in Angliam Bartholo-
 mæum Columbum fratrem suum, qui
 Henrico VII. non ita pridem ad solium
 evecto novi orbis spem, consiliumque
 suggereret: Christophorus autem Cor-
 dubam, ubi tum Ferdinandus agebat,
 delatus Ludovico Santangelico, viro in-
 ter

*Thomas Fa-
 cel. hist Sicil.
 Justiniani,
 & Saprani
 scritt della
 ligur.*